72

SYNODVS PROVINCIALIS,

SVB

Illmo & Rndmo Domino,

D. IOANNE WĘZYK,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia,

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI,

Legato Nato, Regni Poloniæ Primate, & Primo PRINCIPE,

WARSAVIÆ

Anno Dni, Millesimo, Sexcentesimo, Trigesimo Quarto, Die decimâtertiâ Mensis Nouembris,

celebrata.

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi.
Anno Domini, M. DC. XXXVI.



IOANNES WĘZYK,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia,

ARCHIEPISCOPVS GNESNEN:

Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas, & Primus PRINCEPS.

Illustrissimis & Reuerendissimis DD. Archiepiscopo Leopoliensi, alijsq; Prouinciæ Nostræ Gnesneñ: Episcopis, Dominis & Fratribus nostris charissimis, ac ipsorum Capitulis, vniuersoq; Clero, Salutem in Domino.

QVæ in proximè præteritâ Synodo Prouinciali, Warsauiæ Die XIII. *Mensis Nouembr. Anno Dñi, M.DC.XXXIV. celebratâ, Acta, & communi consilio ad normam Sacrorum Canonum constituta fuerant: ea nunc à S. Congregatione Eminentissimorum Cardinalium SS. Concilij Tridentini Interpretum recognita, & à S. Sede Apostolica approbata, typis imprimi, & in publicum edi curauimus. Quarum approbationis literarum tenor talis erat:*

VRBANVS PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

MIlitantis Eccleſiæ regimini, nullis licet noſtris ſuffragantibus meritis, Diuinâ diſpenſatione præpoſiti, ex iniuncti Nobis muneris debito, felici, proſperoq; Eccleſiarum quarumlibet ſtatui, & directioni, ſedulò intendimus, atque hæc, quæ propterea, præſertim per earundem Eccleſiarum Præſules, piè, & prouidè facta fuiſſe comperimus, vt firma perpetuò ſubſiſtant, inuiolateq; obſeruentur, Apoſtolicæ noſtræ Confirmationis munimine roboramus; prout ad Diuini cultus, & Catholicæ Religionis incrementum, animarũq; Chriſtifidelium ſalutem conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Cùm itaq; ſicut ex literis Venerabilis Fratris IOANNIS, Archiepiſcopi Gneſneñ: per dilectum filium Staniſlaum Zychowic, I. V. D. Archidiaconum Caliſſieñ: & Præpoſitum Raueñ: Oppidorum, ſeu locorum dictæ Gneſneñ: ſeu alterius Diœc: à Clero Regni Poloniæ ad Nos pro præſenti confirmatione obtinẽda miſſum, accepimus, ipſe Anno proximè præterito, M. DC. XXXIV. Synodum Prouincialem celebrauerit, in ipſaq; Synodo

nodo

nodo nonnulla Decreta, quæ à Venerabilibus Fratribus Nostris, S. R. E. Cardinalibus, Sacri Concilij Tridentini Interpretibus, iussu Nostro accuratè perlecta, & recognita, ac vbi opus fuit emendata sunt, condita fuerint: Nos egregiam ipsius IOANNIS Archiepiscopi, & Venerabilium Fratrum Episcoporum Comprouincialium suorum pietatem, & Catholicæ Religionis zelum, ac in Nos, & hanc Sanctam Sedem, deuotionem summoperè cōmendantes, & communi in illa Prouincia eorum Decretorū obseruationi, quantum cum Domino possumus, consulere volentes: Synodi præfatæ, quam eidem IOANNI remittimus, Statuta, sic vt præfertur, recognita, & emendata ab omnibus & singulis personis Ecclesiasticis, tàm Sæcularibus, quàm cuiusuis Ordinis Regularibus, ac alijs in dignitate Ecclesiastica constitutis, ad quos quomodolibet spectat, inuiolabiliter obseruari præcipimus, & mandamus. Declarantes, vt quæ obtinenda sunt à Nobis, pro non appositis, & ab eisdem Cardinalibus nō approbatis, habeantur, nulliusq; effectus & roboris existant, nisi & donec cum effectu à Nobis obtineantur: eundem verò IOANNEM Archiepiscopum, & Episcopos Comprouinciales suos præfatos, horta-

 mur in

mur in Domino, & attentè monemus, vt Decreta præfata, iuxta eorum formam & tenorem, in suis Diœcesibus publicēt, & illa publicari, atq; ab omnibus & singulis dictæ Prouinciæ personis, Sæcularibus & Regularibus, alijsq; præfatis, in omnibus, & per omnia integrè, ac sub sententijs, censuris, & pœnis in eis forsan contentis, recipi, admitti, obseruari, præstari, & debitæ executioni demandari faciant. Decernentes, neminem ab eorum obseruatione, quouis prætextu & causa se excusare debere: ac irritum & inane, si secus super his à quoquàm quauis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, Die xx. Septembris, M. DC. XXXV. Pontificatus Nostri Anno Tertiodecimo.

M. A. Maraldus.

Literæ Eminentissimi Cardinalis Verospij.

PErillustris ac Reuerendissime Domine, vti Frater. Prouincialem Synodum ab Amplitudine Vestra, cum Comprouincialibus Episcopis, ac de eorum consilio & assensu, nouissimè celebratam, & Constitutiones in ipsa Synodo conditas, & ad Sanctissimum Dominum Nostrum missas

missas, Eminentissimi Cardinales Decretis Sacri Concilij Trident: interpraetandis praefecti, ex munere iniuncto, & speciali suae Sanctitatis iussu, diligenter recognouerunt, atque aliquibus emendatis, Amplit: Vestrae, & DD. Episcoporum, qui interfuerunt, pietatem, religionem, deuotamque in Sanctam Sedem Apostolicam obseruantiam, maximè laudantes, approbârunt. Nunc verò eandem Synodum, & Constitutiones ita approbatas, & emendatas, R. D. Stanislao Zychowic, Calissiensi Archidiacono, qui eas exhibuit, ad Amplitudinem Vestram perferendas damus, vt eo modo, quo tàm Synodum, quàm ipsas Constitutiones receperit, pro istorum populorum salute, & Ecclesiasticae disciplinae conseruatione, in sua Ecclesia, totaq; Prouincia, omninò obseruandas curet; vt eximiae suae, & Suffraganeorum industriae, pijq; laboris fructus, quos sibi initiò proposuerunt, Deo auctore percipiat. Quod vt cumulatè fiat, Diuinam Clementiam enixè rogamus, vt Amplitudinem Vestram diu incolumem seruare, suaeque gratiae donis magis quotidie roborare dignetur. Romae Die 20. Octobris 1635.

Amplit: V. Perillustris ac Rndmae
vti Fr. studiosissimus

Fr. Cardinalis Verospius.

F. Paulucius S. C. C. Secret.

à tergo

Perillustri ac Reuerendis: Domino, D. Fratri, Archiepiscopo Gnesnensi.

Pro de-

Pro debito ergo officij nostri hortamur, non solùm Primatiali & Metropolitanâ, sed etiam Apostolicâ authoritate, omnes & singulos Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ, cuiuscunq; status & dignitatis, Nobis subiectos, vt eiusdem Synodi Constitutiones, & Decreta, prompto animo suscipiant. Illustrißimos quoq; Dominos Episcopos fraternè requirimus, vt eas in suis Diœcesibus publicari, & ab omnibus quàm diligentißimè obseruari curent, pro suo Pastorali Officio, & Prouinciæ Nostræ vtilitate. Et quoniam Breuia certa, Ecclesias, Statumq; & Ordinem nostrum concernen: è Romana Curia sunt Nobis præsentata, ea ad calcem præsentis Synodi adiungi mandauimus. Dat: Louicij, Die XXVI. *Mensis Martij. Anno Domini, Millesimo, Sexcentesimo, Trigesimo Sexto.*

ACTA
&
CONSTITVTIONES
Synodi Prouincialis
GNESNENSIS,
In Ecclesia Collegiata S. Ioan: Baptistæ, W ARSAVIÆ, *die Lunæ, XIII. Mensis Nouembris, & duobus sequentibus, Anno M. DC. XXXIV.*

Celebratæ.

PRÆSIDENTE

ILLMO & RMO D. D. IOANNE WEZYK. DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, ARCHIEPISCOPO GNESNENSI, LEGATO NATO, REGNI POLONIÆ PRIMATE, PRIMOQ. PRINCIPE. Præsentibus ibidem, Illustrissimis DD. STANISLAO GROCHOWSKI, ARCHIEPISCOPO LEO-

LEOPOLIENSI, MATHIA LVBIENSKI VLADISLAVIEN: ET POMERANIÆ, STANISLAO LVBIENSKI PLOCENSI, PAVLO PIASECKI CAMENECENSI, EPISCOPIS: IOSEPHO VILHELMO RVDZKI, RITVS GRÆCI EPISCOPO, SIVE METROPOLITA KHOVIENSI. Illuſtribus quoq; & Adm: Reuerendis DD. Simone KOLVDZKI, Cancellario Gneſneñ: Cuſtode Ploceñ: Crac: Vladiſlauieñ: Canonico, S. R. M. Secretario, pro Sereniſsimo Principe Poloniæ, & Sueciæ, IOANNE ALBERTO S. R. E. CARDINALI, Epiſcopatûſq; Cracouienſis Adminiſtratore perpetuo. Alberto Zabinski Cantore Vilnenſi, pro ſuo Illuſtriſsimo D. ABRAHAMO WOYNA Epiſcopo, ac pro Venerabili Capitulo. Staniſlao Loza, Epiſcopo Argiueñ: Suffraganeo, Decano, Vicario in Spiritualibus & Officiali Generali Luceorieñ: pro Illuſtriſsimo D. Epiſcopo BOGVSLAO BOXA RADOSZOWSKI, ac ſuo Venerabili Capitulo. Ioanne Grabowiecki Canonico Poſnanienſi, & Præpoſito Sochaczouienſi, pro Illuſtriſſ: D. HENRICO FIRLEY, Epiſcopo Præmyſlienſi. Georgio Alexandro Dorpowski, I. V. D. Canonico Culmenſi, pro Illuſtriſſ: D. Epiſcopo IACOBO ZADZIK, Regni Cancellario, ac ſuo Venerabili Capitulo. Matthæo Babinowski, I. V. D. Canonico Samogitiæ, pro Illuſtriſſ: D. Epiſcopo GEORGIO TYSZKIEWICZ, ac ſuo Venerabili Capitulo. Ioanne Sagin, Canonico & Officiali Chelmenſi, pro

Illuſtriſ:

Illustris: D. Episcopo, REMIGIO KONIECPOLSKI, ac suo Venerabili Capitulo, Nuncijs. Necnon Ecclesiarum Metropolitanæ, & Cathedralium, Procuratoribus & Mandatarijs, Ioanne Krzeczewski Archidiacono Gnesnensi, Lancicienſi, & Stanislao Sławiński Gnesnensi, Posnaniensi, Lanciciensique, Canonicis: Stanislao Stamierowski Decano Leopoliensi, Ioanne Foxio I. V. D. Archidiacono, Laurentio Starczewski Custode Cracouiensi; Christophero Charbicki Præposito, & Paulo Piasecki Archidiacono Vladislauiensi; Rndmo D. Ioanne Baykowski, Episcopo Enneñ: Suffraganeoque, ac Sede vacante Administratore Episcopatus Posnaniensis; & Ioanne Branecki Archidiacono Pczouiensi, Magno Niowski Cantore & Officiali Præmysliensi, pro suis Capitulis. Reuerendissimis quoq; DD. Abbatibus, & Præpositis, Ioanne Madalinski Lendensi, Ioanne Grabinski Oliuensi, Leonardo Rebowski Peplineñ: Thobia Malachowski Paradisiensi, Abbatibus. Chrysostomo Gorazdowski Iezouieñ: Samuele Sierakowski Strzelnensi, Alberto Słupski Płocensi, Præpositis: alijs deniq; plurimis Sæcularibus & Regularibus Clericis.

De Doctrina Christiana.

CAPVT I.

CVM ex præscripto Sacrorum Canonum, & præcipuè Sacrosancti Concilij Tridentini, omnes Synodi Prouinciales à professione Fidei Catholicæ, sine qua impossibile est

bile est placere Deo, inchoari debeant, & soleant: Idcirco hortatur Synodus omnes Illustrissimos Dominos Episcopos, vt superiorum Synodorum, ac præsertim postremæ, sub Tit: *De Professione Fidei, & Doctrina Christiana*, Decretum in viridi obseruantia conseruent, & per Parochos omninò ad executionem, non solùm in Villis, sed etiam in Oppidis deduci curent; cùm id sit ad rudiores in Fide instituendos necessarium, & necessitate medij ad salutem, & præcepti: ad quem effectum petetur Confraternitas à Sancta Sede Apostolica, & eius exemplum ex Italia afferri curabitur. Edictum quoq; contra Biblia Gedani Linguâ Polonicâ impressa, à Sede Apostolica probatum, in omnibus Diœcesibus publicetur, & ad executionem deducatur. Cuius exemplum hîc inserere Synodo placuit, tenoris talis:

Edictum, prohibens lectionem Bibliorum, Gedani nuper impressorum.

IOANNES WĘZYK, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, ARCHIEPISCOPVS GNESNENSIS, LEGATVS NATVS, REGNI POLONIÆ PRIMAS, ET PRIMVS PRINCEPS.

Clero, Populoq; Diœcesis & Prouinciæ nostræ, Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ, Salutem in Domino sempiternam.

SAL-

SALVATOR ET DEVS NOSTER CHRISTVS IESVS, fundans, & constituens Ecclesiam suam, cum qua vsq; ad consummationem sæculi se futurum promisit, præter Sacramenta nouæ legis, & gubernationem Spiritus Sancti, per Principem Apostolorum Petrum (pro cuius fide, vt non deficeret, orauit) & illius Successores, Sacram quoq; Scripturam Noui & Veteris Testamenti, tanquam Doctrinæ cœlestis fontem, & cæleste Depositum, custodiendum, seruandumq; in ea reliquit. Cuius quidem cælestis Depositi, tanta semper in Ecclesia Catholica fuit maiestas, & reuerentia, vt illius custodia nonnisi ad Episcopos, tanquam ad Apostolorum successores, & Ecclesiæ Pastores pertinuerit; neminiq; præter Ecclesiæ Romanæ authoritatem, licuerit Sacram Scripturam interpretari, vel ex vno sermone in alium transferre. Si enim in Veteri Testamento Ozias Rex leprâ à Deo percussus fuit, quod thuris adolendi ministerium sibi vsurpâsset; eidemque Azarias Sacerdos vnà cum 80. viris fortissimis in faciem restitit, dixitque: *Non est tui officij Ozia, vt adoleas incensum, sed Sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiusmodi ministerium:* multò magis in Nouo Testamento, in quo Saluator Apostolis suis, & eorum Successoribus, Euangelium prædicare, & docere omnes gentes mandauit, illisque solis nosse mysteria Regni, cæteris verò in parabolis concessit; Scripturæ Sacræ custodia, & interpretatio, ad Ecclesiam, eiusq; Pastores & Episcopos, ex ipsa Christi institutione, Apostolorũque doctrinâ & traditione, pertinere dignoscitur; vt me-

ritò Paulus Apostolus Doctor gentium, Thimotheum Episcopum, & in ipso omnium gentium futuros Episcopos, monuerit, vt Depositum, Sacram nimirum Scripturam, custodiat; deuitans prophanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ. Cùmq; lex depositi sit, vt idem numero reddatur; vt si aurum accepisti, aurũ reddas, ne plumbum, ne æramenta supponas: prouidendum est Episcopis, vt sacrum hoc depositum Scripturæ Sacræ, & legis Diuinæ, argentum & aurum igne examinatum, imò super aurum & lapidem preciosum multũ, pretiosius, illibatum custodiant, seruent, & præstent: exemploq; S. Basilij Episcopi, qui Præfecto Valentis Imperatoris Arriani, sibi suadenti, vt Imperatori in nonnullis cederet, respondit; ipsi quoq; pari libertate & animo, ijs qui Scripturæ interpretandi potestatem sibi arrogant, respondeant: *Qui Diuinis sunt enutriti eloquijs, corrumpi de Diuinis dogmatibus, nec vllam syllabam patiuntur: sed pro ijs, si ita oporteat, omnes mortis species amplectuntur.* Intellexit nimirum dudum humani generis hostis, nullâ re faciliùs deprauationem Scripturæ Sacræ, Hæresumq; incrementa se consequi posse, quàm si libertatem induceret cuiuis ex suo sensu Sacram Scripturam, vel interpretandi, vel in alienam linguam sermonemuè transferendi: ac propterea à secunda ferè ætate Ecclesiæ, Anno nimirum Centesimo Vigesimo quinto, post Ascensionem Christi in cælum, Aquilam virum excelso ingenio, ac propterea elato animo, excitauerat, qui Bibliorum ex Hebræo in Græcam linguam translationem, quam Septuaginta Interpretum

vocant,

vocant, Annis fermè Trecentis ante natum Saluatorem factam, animaduertens eam Chriſtum verum Meſsiam Patribus promiſſum confirmare, in dubium vocaret: cuius peruerſum exemplum, cùm poſtea conſequentibus temporibus plures ſecuti fuiſſent, paſsimq; omnes licere ſibi exiſtimarent ex proprio ſenſu Scripturam Sacram ex vna lingua in aliam transferre, eoq; iam ventum eſſet, vt in re tam ſacrâ & certâ, nulla penè eſſet certitudo, grauiſſima ſacrorum Canonum, & Oecumenicorum Conciliorum, ac poſtremo Sacri Concilij Tridentini, cui etiam Regni noſtri Oratores interfuerunt, authoritate prouiſum fuit, Veterem & vulgatam, ac à tot ſæculis in Eccleſia receptam, & approbatam, Bibliorum ex Hebræa & Græca in Latinam linguam tranſlationem, præ cæteris pro Sacra & Canonica habendam, & recipiendam: eamq; in rem contra Typographos, qui ſine licentia Superiorum Eccleſiaſticorum Scripturæ Sacræ libros imprimere, aut venales habere auderent, pœna anathematis & pecuniæ, dudũ in Concilio Lateranenſi ſtatuta, renouata fuit. Quæ cùm ita ſe habeant, miramur ſanè, & grauiter dolemus, BIBLIA SACRA, ſine licentia, & approbatione S. SEDIS APOSTOLICÆ, in linguam Polonicam verſa, GEDANI nuper Anno 1633. in Officina Andreæ Hunefeldi impreſſa, palàm circumferri. In quarum verſione, & libri aliquot Sacræ Scripturæ ex induſtria ſunt omiſsi, illi præſertim, ex quibus aduerſa Orthodoxæ fidei doctrina conuellitur; atque ipſa tranſlatio Polonici idiomatis, cum vulgatâ Latinâ collata, multis in locis deprauata cerni-

ta cerni-

ita cernitur, vt ex collatione Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ lectionis, piorum & doctorum Virorum, quibus id negotij dederamus, factâ, deprehenſum fuit, vt iterum mirari ſatis & dolere non poſſimus Superattendentes, vt ſe nominant, Euangelicorum in Maiori Polonia, eò ſuperbiæ & audaciæ progreſſos, vt veteris & vulgatæ Latinæ BIBLIORVM tranſlationis ſibi cenſuram aſſumere auſi fuerint, vel certè plus ſapere, meliùs linguam Hebræam & Græcam ſcire, vetuſtiores & meliores Bibliorum Hebræos & Græcos Codices habere, quàm SS. Patres, qui tot ſæculis præceſſerunt, quàm Luminaria Eccleſiæ, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius, & alij, vel dictas linguas ſcire, vel certiores Codices BIBLIORVM habere potuerũt, ſupraq́; ipſam Eccleſiam, cuius tanta fuit apud S. Auguſtinũ fides, vt Euangelio nõ crederet, niſi eum Eccleſiæ commoueret authoritas, ſapere, & intelligere præſumant. Qui ſanè quod in ſubſidium ſui erroris vel arrogantiæ ſumunt, ſe non nouam, ſed veterem, vt aſſerunt, Breſtenſem Bibliorum editionem, & tranſlationem iterum edidiſſe, & recudiſſe: ſcire, & meminiſſe deberent, Breſtenſia illa Biblia, & à laudatiſſimis illius temporis Deceſſoribus noſtris Archiepiſcopis, & Epiſcopis Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ, damnata & reprobata fuiſſe, & Sereniſſimo magnæ memoriæ Regi SIGISMVNDO AVGVSTO, cui inſcio dedicabantur, vel potiùs obtrudebantur, ita diſplicuiſſe, vt etiam Diplomate ſuo, Anno 1565. 8. Octobris, Vilnæ dato, ſummo affectu profeſſus fuerit, ſe ad defendendam contra Hæreſes Religionem

Catho-

Catholicam, Religioſum Ordinem Patrum Societatis IE-SV in Regnum Poloniæ recepiſſe. Quorum poſtea operâ curaq; contra hæc Breſtenſia Biblia, edita fuêre authoritate Illuſtriſsimi laudatiſsimæ memoriæ STANISLAI KARNKOWSKI, Deceſſoris noſtri, BIBLIA ex vulgatâ Latinâ tranſlatione in Polonicam linguam tranſlata, bonæ memoriæ IACOBI WVIEK eiuſdē Societatis Theologi vocata. Neque eſt quod ſuperattendentes Euangelicorum, vel quiſquis ille ſit, authoritatem aliquā Biblijs Gedanenſibus additam exiſtimet, quòd dedicata ſint Sacræ R.M. Domino noſtro clementiſsimo; cùm Sua Maieſtas primùm quidem Illuſtriſsimo D. Epiſcopo Vilneñ: cùm is pro ſua Paſtorali ſollicitudine & vigilantiâ, de eorundem Bibliorū dedicatione Suæ Maieſtati ſignificâſſet, deinde verò mihi quoquè palam, & diſertis verbis reſcripſerit, diſertèq; pro Catholici Principis officio profeſſus fuerit, eam Bibliorum dedicationem ſe inſcio contigiſſe; ac propterea nihil inde authoritatis iiſdem Bibliis accedere poſſe: Scire ſe, & profiteri, cenſuram & editionem Bibliorum ſolius Eccleſiæ Romanæ eſſe poteſtatis; Se in Eccleſia Catholica natum, in eadem quoque & viuere, & mori velle. Quocirca laudatiſsimis Maiorum, & Deceſſorum noſtrorum Epiſcoporum Regni, & Magni Ducatûs Lith: veſtigiis inſiſtēdo, qui olim regnante Sereniſsimo SIGISMVNDO AVGVSTO, magnæ memoriæ Rege, Breſtenſium Bibliorum editionem & tranſlationem damnârunt, & anathematizârunt; Nos quoque, maturo ea de re habito cum Illuſtriſs: DD. & Fratribus obſeruandiſs: Ar-

dist: Archiepiscopo Leopolien: & Episcopis Regni & Magni Ducatûs Lith: ac multorum virorum doctorum, & piorum consilio, de eorum quoque assensu, pro debito Pastoralis Officij nostri prouidentes; ne ea, quæ Sacris Canonibus, & Fidei Catholicæ aduersantur, silentio approbare, vel ad ea conniuere, occasionemq; errandi ouibus nostris præbere videamur: Authoritate nostrâ Metropolitanâ, & Primatiali, ac à Sacro Concilio Tridentino nobis concessa; in Dei nomine, omnibus & singulis Christifidelibus vtriusque sexûs, & cuiusuis conditionis Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lith: incolis, & in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub Excommunicationis pœna ipso facto incurrendâ, Sediq; Apostolicæ in Catalogo librorum prohibitorum, & Bulla Cœnæ Domini reseruatâ, districtè prohibemus, ne librum hunc Bibliorum, Gedani in Officina Andreæ Hunefeldi, vel alibi, linguâ nostrâ impressum, vel alibi recusum, legere, retinere, vendere, seu cuipiam donare audeant; sed si quis ea habuerit, Parocho, Parochus verò Episcopo suo quamprimùm reddere teneatur. Bibliopolis verò, & Typographis omnibus, sub eadem anathematis, & pecuniæ pœnis, arbitrio Illustrissimorum Episcoporum, quos vt præsentes literas nostras per Parochias publicare sine mora curent, fraternè rogamus, decernendis, Mandamus, ne prædicta Biblia, vendere, siue de nouo imprimere quouis modo præsumant. Sciantq; Bibliopolæ, & Typographi, se quoad impressionem, venditionem, & inuectionem librorum, Illustrissimorum DD. Lociordinariorum Iurisdictioni antiquitus esse subiectos, secũdum rescriptum

Serenis-

Serenissimi olim SIGISMVNDI AVGVSTI Regis, Constitutionibus Prouincialibus lib: 1. insertum. In cuius rei fidem præsentes manu nostra subscriptas, Sigillo quoq; nostro cõsignari iussim9. Dat. Louicii, die XXVIII. Mensis Aprilis. M. DC. XXXIV.

De Missis, in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum.

CAPVT II.

QVIA, teste Scripturâ, sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur: præsens Synodus supplicandum censet S. Sedi Apostolicæ, vt exemplo Regni Valentiæ, etiam huic nostræ Prouinciæ concedere velit, vt die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, tres Missas quilibet Sacerdos, prout in die Natalis Domini, ad libitum celebrare posit.

De Ecclesiis prophanatis, & desolatis.

CAPVT III.

STATVIT Synodus, vt Ecclesiæ à quibusuis, præsertim Hæreticis, prophanatæ; quæ, sufficientẽ prouisionem pro sustentatione Parochi non habent, alijs Ecclesijs vniantur, iuxta præscriptum Sac: Concil: Tridentini, *Sess: 21. cap:* 5. & Populus cũ dote Ecclesiæ tantisper viciniori Parocho adiungatur, quoad recuperatæ, & vniuersali Ecclesiæ re-

ſiæ reſtitutæ non fuerint. Cæterùm ſciant Regulares, ipſis non licere ſine licentia, & approbatione ſpeciali Ordinariorum, in Eccleſijs vacantibus, & deſolatis, reſpectu Parochorum Sacramenta adminiſtrare, aut illius Parochiæ, ſeu alterius vicinioris, homines, præcipuè tempore Paſchatis, Confeſsiones audire: aliâs contra facientes ad Iuris præſcriptum punientur; commendatæ verò Eccleſiæ, iuxta Iuris communis, & Sacri Concilij diſpoſitionem, concedantur.

De Proceßionibus cum Venerabili Sacramento.

CAPVT IV.

NE multiplicatio Proceſsionum cum Venerabili Sacramento, loco deuotionis, ſeu maioris Diuini cultûs, irreuerentiam interdum Diuinæ pariat Maieſtatis: inhibetur omnibus ſæcularibus Rectoribus, ne præter Feſtum Corporis Chriſti, eiuſq; Octauæ dies, quibus proceſsio ſolennis, modo & ordine in Epiſtola Paſtorali nouiſsimæ Synodi Decretis inſertâ, iuxta conſuetudinem locorum, peragi omninò ſolet; alijs Dominicis, & Feſtis diebus, etiam in Proceſsionibus Fraternitatum à Loci Ordinario admiſſarum, audeant Venerabile Sacramentum extra ſuam Eccleſiam, vel Cemeterium tantùm, proceſsionaliter deferre. Regulares quoque intelligant, non licere eis, Iuribus ſic diſponentibus, extra ſua clauſtra, & ambitum, ſeu Cemeterium, proceſsiones cum Venerabili Sacramento facere, cùm ad Iuriſdictionem quandam ſapiat; conſenſum verò

Dñi Lociordinarij hac in parte ſuum, ſe amplius non daturos, niſi ex iuſta cauſa, præſentis Decreti vigore promittunt, & cauent.

De Eccleſiarum Ingreſſu.

CAPVT V.

QVia ad Eccleſiam debet eſſe humilis & deuotus ingreſſus, tùm vt ſecuritati Eccleſiarum proſpiciatur, & occaſio tumultuum præcidatur: interdicit Synodus omnibus cuiuſcunque ſtatus & conditionis hominibus, ne vnquam Eccleſias cum bombardis, canibus, & auibus venatorijs, ingredi præſumant, ſub pœna excommunicationis: cuius notam Parochi in Tabella foribus affigant his verbis: *Huc ingredi nemini licet cum Bombardis, Sclopetis, Canibus, & Auibus ad venandum, ſub pœna Excommunicationis.*

De Confraternitatibus.

CAPVT VI.

COnfraternitates, Roſarij præſertim, cum aliquibus Eccleſijs ſeu Parochiis conceduntur, non debeat eas admittere Parochus, niſi prius ſpecialem, vti Iuris & conſuetudinis eſt, admiſsionem à Loci Ordinario habeat: ſub pœna arbitraria in contrafacientes decernenda.

CAPVT VII.

CVM ex præscripto Iuris communis, & ex præcedenti Synodo Gembicianâ, à Sede Apostolica approbata, nec non ex declarationibus Eminentissimorum Cardinalium Sacri Concilij Tridentini Interpretum, satis constet, Regulares quantumuis exemptos, priuilegiatos, & ad audiendas Confessiones sæcularium approbatos, non posse quempiam absoluere à Casibus Sedi Apostolicæ, & Ordinarijs reseruatis: ideo Synodus iniurijs bonorum Ecclesiasticorum & rapinis obuiare volens, notificat inter alios Casus eidem Sedi Apostolicæ reseruatos esse; Casus Inuasionis bonorum Ecclesiasticorum, & exactionis pecuniarum, taliarum, seu collectarum, vecturarum, & aliarum angariarum, seu vt vocant, Stationum in bonis Ecclesiæ; necnon occisionis Clericorum, & Presbyterorum, quorum absolutiones Ordinarijs, iuxta Bullam Sanctæ mem: Leonis X. committantur: eisdem verò Ordinarijs decernit esse reseruatos, sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrenda, casus eorum, qui prohibent, vel impediunt Decimas percipi, & qui diripiunt bona mobilia, siue immobilia, post mortem Parochorum, siue Beneficiatorum: Ideòq; inhibetur omnibus Presbyteris Secularibus, & respectiuè Regularibus, sub pœna Excommunicationis, ne in prædictis casibus quempiam absoluere, præterquàm in mortis articulo præsumant, sed vt supra remittāt.

 Regula-

Regulares autem in hisce casibus, & alijs per Decreta Prouincialia Synodalia, à Sede Apostolica confirmata, reseruatis, absoluentes, quomodocunq;, & qualicunq; interpretatione facta, etiamsi lis eo nomine in iudicio vertatur, sciant se incursuros pœnam Excommunicationis ipso facto, nisi specialem à Sede Apostolica habeant facultatem: Ideò ne quis ignorantia se excuset, hic inserere placuit textum in Clem: Religiosi. de Priuilegijs. *Religiosi, qui Clericis, aut laicis, Sacramentum Vnctionis extremæ, vel Eucharistiæ, ministrare, Matrimoniaue solemnizare, non habita super his Parochialis Presbyteri licentia speciali; aut qui excommunicatos à Canone, præterquam in Casibus à Iure expressis, vel per Priuilegia Sedis Apostolicæ concessis eisdem, vel à Sententijs per Statuta Prouincialia aut Synodalia, promulgatis, seu (vt verbis eorum vtamur) à pœna & culpa absoluere quemquam præsumpserint, Excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, per Sedem Apostolicam duntaxat absoluendi: quos etiam Locorum Ordinarij (postquam de hoc eis constiterit) Excommunicatos faciant publicè denunciari, donec de absolutione ipsorum eis fuerit facta fides, nullo Religiosis eisdem super hoc exemptionis, vel alio Priuilegio, suffragante.*

De Oratione pro Defunctis.

CAPVT VIII.

CVM totius Ecclesiæ more fiat vespertina pro fidelibus defunctis Oratio: proinde sicut in Synodo Gembiciana decreta fuit; ita vt in omnibus Ecclesijs horâ circiter

citer primâ noctis, trino pulsu Campanæ, ad eam Populus excitetur; præsens præcipit Synodus, conceditq; singulis orantibus Quadraginta dies Indulgentiarũ, in forma Iuris.

De Communione, tempore Paschali.

CAPVT IX.

CVM tempus Paschale, à Dominica Palmarum, ad Dominicam in Albis, Confeßioni, & Communioni fidelium, de Iure præstitutum, huic Regno, ob paucitatem Sacerdotum, & multitudinem hominum, in remotis ab Ecclesijs locis commorantium, angustum esse experientia doceat: Supplicat Synodus Sanctæ Sedi Apostolicæ, vt tanquam benigna Mater filiorum suorum saluti consulendo, amplius spatium, hoc est à Dominica Paßionis, ad Dominicã in Albis inclusiuè, ea de causa prorogare velit.

Vt Synodis, & Comitijs, Episcopi intersint.

CAPVT X

CVM plurimùm intersit Reipublicæ saluti, & Ecclesiæ Iuribus conseruandis, vt DD. Archiepiscopi, & Episcopi, Synodis Prouincialibus, Comitijs Regni, & particularibus Terrarum Conuentibus, in quibus etiam de Iuribus, & præiudicio Ecclesiarum & Ecclesiasticorum agitur, præsentes adsint; quod & respectiuè antiquis Constitutionibus Prouincialibus, *lib: 5. cap: 8.* & recentioribus, videlicet Gembiciana, per Sedem Apostolicam confirmatis,

firmatis,

firmatis, cauetur: Ideò pœnam mille marcarum in quemlibet Dominorum Episcoporum, ad præfata loca, & tempora præfixa, venire negligentium, præsens ampliat & innouat Synodus; saluo legitimo impedimento, iureiurando iuxta eadem Statuta Prouincialia, coram Illustrissimo D. Archiepiscopo, in recenti probãdo. Pœnæ autem eiusmodi per Illustrissimum D. Archiepiscopum omninò vltra alias Iuris pœnas exigantur, & fabricæ Ecclesiæ Metropolitanæ applicentur; in reliquo dispositio Dzierzgouij Archiepiscopi, *Lib: 4.* descripta obseruetur. Quoniam verò Sereniss: Princeps CAROLVS FERDINANDVS, Administrator Episcopatus Vratislauiensis, ad Synodum præsentem inuitatus, per suas ad Illustrissimum D. Archiepiscopum literas, absentiam Capituli sui excusauit, quòd in exilio manens, commodè ad Synodum venire non potuit: Ideò Synodus iustæ excusationi locum reliquit; ita tamen, ne absentia hâc vice indulta Ecclesiæ Vratislauieñ: Metropolitano Gnesnensi dudum adiunctæ, quicquam deroget: præsertim cùm & ipse Summus Pontifex modernus, illam Ecclesiam Gnesneñ: Suffraganeam, in literis suis, coram Synodo lectis, agnoscat, idemq; ipse Serenissimus CAROLVS in suis quoque literis non diffiteatur.

De Iudicibus Tribunalis Regni.

CAPVT VI.

CRescente omnium rerum pretio, æquum est, Iudices Tribunalis Regni Ordinis nostri, ampliori stipendio

prouideri, cuius modum Domini Ordinarij in qualibet Diœcesi inire curabunt; ita tamen, vt omni ex parte stipendium sit moderatum, & omnis auaritiæ labes absit.

De Aduocatiarum summis pecuniarijs.

CAPVT XII.

VT Sultetiæ, & Aduocatiæ, in bonis Ecclesiæ, certis pecuniarum summis oneratæ, quamprimùm liberæ ad Ecclesiam redeant, statuitur; vt in Priuilegiis de nouo super eas conceden. quarta pars summæ principalis detrahatur, ita vt cùm ad quartum possessorem venerint, summa totaliter extincta esse censeatur; prout etiam in Sultetiis Regalibus Iure Regni obseruatur.

De Conseruatoribus.

CAPVT XIII.

MOnentur Regulares, quorum aliqui iuxta Bullam Sanct: memoriæ Gregorij XV. Conseruatores elegerunt, vt alij idem quamprimùm faciant: alioquin coram Ordinariis locorum, quamdiu non elegerint, respondere tenebuntur. Eligantur autem in Conseruatores illi, qui in Synodis Diœcesanis Iudices ad audiendas causas Apostolicas designati sunt.

De Deputatis ex Capitulis, ad Electiones Abbatum mittendis.

CAPVT

CAPVT XIV.

DVdum in Constitutionibus Prouincialibus est decretum, & obseruatum, vt vacante Abbatia, vel Præpositura, Viri graues de gremio Capituli Ecclesiarum Cathedralium mittantur, qui electioni, ex causis ibidem expressis, intersint. Cap: *Nouit.* & Cap: *Quanto. De his quæ fiunt à Prælatis.* Idemq; antea Iuris Canonici sanctione firmatum est, vt Abbatum, & Abbatissarum institutiones & destitutiones, cum consilio Capituli, & non aliarum personarum fiant; districtè mandat Synodus id obseruari: aliter autem factæ electiones, vti Iura disponunt, irritæ sint, & inanes.

De Abbatijs vacantibus.

CAPVT XV.

VT bona Ecclesiastica, post mortē Abbatum, vel Præpositorum, cum suis redditibus & prouentibus, integra maneant, ac futuro, prout de Iure, Successori conseruētur, neuè à quibusuis diripiantur; statuit Synodus, antiquæ Consuetudini inhæren: vt DD. Locorum Ordinarij post decessum Abbatum, seu Præpositorum, Administratorem ex medio sui Capituli, vnà cum Priore Monasterij, constituant, qui indemnitati eorundem bonorum, etiam immobilium, per defunctum relictorum, prospiciant, de hisq; futuro successori, ad instar Sprouianæ Constitutionis, de Sede vacante, in nouissimâ Synodo à Sede Apostolica appro-

probatæ, rationem reddere teneantur. Raptores autem bonorum, redditùum, & rerum à defuncto relictarum, pœnam Excommunicationis ipſo facto, contra rapientes bona poſt mortem inteſtati Statutis Prouincialibus decretã, incurſuros decernit. Æquum etiam cenſet Synodus, vt in Abbatijs, & Præpoſituris commendatis, modus procedendi ad inſtar anni gratiæ, per Bullam Leonis X. conceſſi, obſeruetur.

De Taxa Proceſſuum, Tribunalium Epiſcopalium.

CAPVT XVI.

ET ſi taxa proceſſuũ, ſeu literarum Tribunalis, antiquã lib: tertio Conſtitutionum Prouincialium ſit expreſſa; eaq; Conſtitutione Macieiouianâ ad duplum augeri iubeatur: Veruntamen omnium rerum in dies valore excreſcente, eam ad triplum Synodus ampliari permittit; ac proinde decernit, ne quis Notariorum amplius exigere præſumat, ſub pœna amiſsionis Officij.

De Contributione, pro Deputatis Tribunalis Regni, ſoluenda.

CAPVT XVII.

PLurimum intereſt, & ſæculari, & Regulari Clero, ne Iudicia Tribunalis Regni, quæ bonorum Eccleſiaſticorum, & victualium Cleri vltima ſunt præſidia, intermittan-

mittan-

mittantur; cum verò ob absentiam, & non plenum in cõposito Iudicio numerum Deputatorum eadẽ negligi contingat; propterea, quòd solitæ pensiones illis non soluantur: Proinde Synodus præcauens, indemnitati bonorum Ecclesiasticorum, ac victui pauperum Sacerdotum, qui ob Iudicum Deputatorum absentiam, ad septem, vel decem annos, Iustitiæ administrationem expectare coguntur, decernit, vt DD. Episcopi Abbatias in Commendam habentes, nec non alij Commendatarij, nullis subterfugijs se tueri posśint, quominùs coram Locorum Ordinarijs, vel Iudicibus competentibus, ad pensiones vltra quadraginta annos solui solitas, & consuetas, Iure mediante compellantur: aliâs eorum causæ in Iudicio composito Tribunalis Ecclesiastici non iudicabuntur.

De reuerentia Diuinorum Officiorum.

CAPVT XVIII.

INhibet Synodus, ne in Ecclesijs quibuscunq; circa Processiones cum Venerabili Sacramento, aut aliâs adhibeantur tympana, aut tubarum clangores, qui magis castris, quam Ecclesiæ deuotioni accommodati videntur: item explosiones tormentorum bellicorum in Festis circa Octauas Festorum, nullo fructu, sed æmulationis causa fieri solitas; excepto tamen Festo Noctis Resurrectionis Dominicæ, iuxta laudabilem locorum consuetudinem.

De Canonizatione.

CAPVT XIX.

SVpplicat Synodus S. Sedi Apoſtolicæ, vt negocium Canonizationis Beatorum, STANISLAI KOSTKA Societatis IESV, CVNEGVNDIS, & LADISLAI, Ordinis S. Franciſci; necnon IOZAPHAT Epiſcopi, VINCENTII KADLVBEK, IOANNIS KANTII, Profeſſoris Academiæ Cracouieñ: Sua Sanctitas commendatū habeat: ac priuſquā ſolemnitas ea perficiatur, Miſſæ Sacrificium, cum horis Canonicis, præſertim de Beato CANTIO, & KOSTKA, in Eccleſijs Regni celebrari concedat.

De Decanis Ruralibus.

CAPVT XX.

QVia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet: cùm verò Decani Rurales Commune Epiſcoporum, & Archidiaconorum Officium exerceant; Ideò eoſdem Decanos ab Epiſcopis, & Archidiaconis, communiter eligi debere, ſicuti Iuris eſt, *Cap: ad hæc. in fin. de Offic: Archid:* Synodus declarat.

De Vnione Ruthenorum.

CAPVT XXI.

ANtiſtitum Ritûs Græci, & Sacerdotum in Vnione Sanctæ Eccleſiæ Romanæ permanentium, negocium in proximis Comitijs Regni tractañ: DD. Archiepiſcopi, & Epi-

& Episcopi, promittunt, vt ipsorum Iuribus omninò consulatur, & securitati prospiciatur.

De temerè litigantibus.

CAPVT XXII.

DEcet ordinem Sacerdotalem, modestiæ & tranquillitatis studium. Monet ergo seriò Synodus personas Ecclesiasticas, vt à litibus multiplicandis sibi temperent, neque causas, honorem & famam tangentes, cuiquam intentent, sine Episcoporum suorum consilio: cùm id etiam vergat in odium statûs Spiritualis, ac Sacerdotum officio aliquos diffamari minimè conueniat. Contra facientes, arbitrio Superiorum sciant se esse puniendos.

De Absentibus in præsenti Synodo.

CAPVT XXIII.

CAutum fuit in proximè præteritâ Synodo, vt DD. Episcopi, Abbates, & qui interesse Synodo debent, omninò ad Synodum venirent, sub pœnis Iuris, irremissibiliter in eos decernendis. Cùm verò ad præsens plures absint Domini Episcopi, & Abbates, qui varias causas absentiæ per suos Nuncios prætendunt, eas diligentiùs Illustrissimus D. Archiepiscopus vt examinet, Synodus decernit: & quorum excusationes minùs legitimas inuenerit, pœnâ pecuniariâ, de consilio duorum DD. Episcoporum Seniorum, sibi viciniorum, puniat, pœnamq; solutam de

corun-

eorundem consilio, fabricæ Metropolitanæ Ecclesiæ, iuxtà Constitutionem Dzierzgouianam, Lib: IV. Constitutionum Prouincialium, applicet. Cæterùm exemplo, & consuetudine Sacri Conc: Trident: & aliarum Synodorum Prouincialium, cauet Synodus, nemini in voce danda nouum ius quæsitum, aut aliquod præiudicium factum esse.

De Nuncio ad Sanctam Sedem Apostolicam mittendo.

CAPVT XXIV.

AD petendam, obtinendamq; à SS. Dño Nostro, præsentis Synodi confirmationem, nonnullasq; alias gratias eiusdem S. D. N. pro vsu & necessitate Prouinciæ, designatur Admodum R. D. Stanislaus Zychowic, I. V. D. Archidiaconus Calissiensis, Præpositus Rauensis.

Acta, lecta, publicata, Anno, Die, Mense, vt supra.

Ioannes Wężyk, Archiepiscopus Gnesnen. m. p.
Stanislaus Grochowski, Archiepiscopus Leopolien.
Matthias Lubieński, Episc: Vladisl: & Pomer. m. p.
Stanislaus Lubieński, Episcopus Plocensis. m. p.
Paulus Piasecki, Episcopus Camenecensis. m. p.

Veuceslaus Ceynarovvic, I. V. D. authoritate Apost: publicus, Actorumq; Curiæ Illustriss: & Rndiss: D. Archiep: Gnesn: suprascripti, ac præsentis Synodi Notarius suprascriptus. m. p.

Approbatio.

Nos Fabricius, Tituli Sanctæ Mariæ de Pace, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Verospius, nomine Sacræ Congregationis Cardinalium, Concilij Tridentini Interpretum, fidem facimus, & attestamur, Decreta Synodi Prouincialis Gnesnen: hoc libello cartarum decem, quarum prima incipit, Acta & Constitutiones Synodi Prouincialis Gnesnensis; *ultima verò desinit,* Domini Archiepiscopi Gnesnensis suprascripti, ac præsentis Synodi Notarius, &c. *fuisse, ut supra ab eadem Sacra Congregatione Concilij emendata, recognita, atque approbata; eorundemque Decretorum Originale, apud eandem Sacram Congregationem remansisse; adiecta tamen declaratione, ut quæ obtinenda sunt à Sanctissimo Domino Nostro, pro non appositis, & à Sacra Congregatione, non approbatis habeantur, nulliusque effectus & roboris existant, nisi, & donec cum effectu, à Sua Sanctitate obtineantur. In quorum fidem, his propriâ manu subscripsimus, & ab infrascripto eiusdem Sacræ Congregationis Secretario subscribi, Sigillique nostri impreßione muniri mandauimus. Dat: Romæ, die prima Septembr: 1635.*

F. Cardinalis Verospius.

Locus Sigilli.

Franciscus Paulucius S. C. C. Secr.

Sequuntur Breuia Apoſtolica, & Decreta, Epiſcopos, & Clerum Regni Poloniæ, ac Magni Ducatus Lithuaniæ, concernentia.

BREVE

De reductione Miſſarum.

VRBANVS PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CVm, ſicut accepimus, redditus fundationum, & legatorum antiquorum, Eccleſijs Regni Poloniæ, à diuerſis perſonis, cum onere certam Miſſarum quantitatem celebrandi, ſeu celebrari faciendi, relictorũ, ad præſens oneri huiuſmodi adimplendo non ſufficiant, eo quòd monetæ valor plurimùm auctus ſit, & præterea ob peſtem, & alias Regni præfati calamitates, Sacerdotum eiuſdem Regni numerus adeò imminutus ſit, vt illi qui ſuperſunt, tot Miſſis celebrandis impares ſint: Nos in præmiſſis, quantum ab alto conceditur, prouideri

uideri cupiẽtes, Apostolicâ authoritate, tenore præsentium, concedimus; vt vbi in dicto Regno, post Sacri Conc: Trident: publicationem, non fuit in aliqua Synodo facta reductio Missarum huiusmodi; ea in prima Synodo, iuxta Sacri Conc: Triden: præfati formam, fieri possit; etiamsi illa non sit prima Synodus celebrata post eiusdem Sacri Concilij Tridentini publicationem. Non obstantibus præmissis, ac quibuscunq; Testatorum, & aliorum voluntatibus, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Dat: Romæ, apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, Die xxvi. Nouembris. M.DC. XXXIV. Pontificatûs Nostri Anno Duodecimo.

M. A. Maraldus.

BREVE
De Communione tempore Paschali.

 VRBA-

VRBANVS PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt Venerabiles Fratres, Archiepiſcopi, & Epiſcopi Regni Poloniæ, quòd in eodem Regno progreſſu temporis vſus inualuit, vt quilibet, ad id tamen aptus & idoneus, ſingulis annis, ad minùs duodecim dierum ſpatio, nempè à Feria quinta in Cœna Domini, vſq; ad diē Dominicā in Albis incluſiuè, confeſſus, ac ſacrà Communione refectus eſſe debeat: cuius quidē temporis breuitas in cauſa fuit, vt ob numeroſum dicti Regni populum, ac Sacerdotum ibidem partim contagio, partim verò alijs infirmitatibus defunctorum defectum, multi præmiſſa, ſpatio duodecim dierum huiuſmodi, peragere non potuerint. Quare dicti Archiepiſcopi, & Epiſcopi, Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, vt ſuper præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur: Nos igitur Chriſtifidelium eiuſdem Regni animarum ſaluti, quātum cum Domino poſſumus, conſulere volentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati; Eiſdem Archiepiſcopis, & Epiſcopis, per præſentes committimus, & mandamus, vt eorum

arbi-

arbitrio, attentâ Sacerdotum penuriâ, huiusmodi Christifidelibus vtriusq; sexûs, dicti Regni, ad id tamen aptis, & idoneis, tempus à Dominica Passionis, vsq; ad Hebdomadam post Dominicam in Albis immediatè sequen: inclusiuè, quo durante, peccata sua confessi, ac Sacra Communione refecti esse debeant, & teneantur, authoritate Nostra concedant, & respectiuè prorogent. Non obstan: præfata consuetudine, cæterisq; in cõtrariũ facientibus quibuscunque. Dat: in Arce Gandulphi, Albanen: Diœc: sub Annulo Piscatoris, Die xxvi. Octobris. M.DC.XXXIV. Pontif: Nostri Anno Duodecimo.

M. A. Maraldus

BREVE
De Foro in Criminalibus.
VRBANVS PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Singularia, atque eximia, Charissimi in Christo Filij Nostri, VLADISLAI, Poloniæ & Sueciæ Re-

ciæ Regis Illustris, in Nos, & hanc Sanctam Sedem, fidei & deuotionis merita, ac præcipuus, quo eundem VLADISLAVM Regem complectimur, paternæ charitatis affectus, promerentur; vt quæ ad prosperum, felicemq; Christifidelium in Regno Poloniæ existentium statum, & quietem, pertinere dignoscuntur, quantum cum Domino possumus, fauorabiliter cōcedamus. Supplicationibus itaq; dilecti filij Nobilis viri, Georgij Ossolinski, Comitis de Tęczyn, eiusdē VLADISLAI Regis Oratoris, Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati: Quòd de cætero in præfato Regno Poloniæ, Causæ Criminales in prima instantia cognoscantur ab Ordinarijs Locorum; in secunda à Mētropolitano; in tertia à dilecto filio moderno, & pro tempore existente in dicto Regno Poloniæ Nuncio; in reliquis instantijs, etiam restitutionis in integrum, & in secunda instātia, quando Metropolitanus vti Ordinarius in prima instantia cognoscit, committantur Causæ appellationum, nullitatū, per signaturam Iustitiæ, infra certum tempus, vel in partibus, alicui ex Episcopis, vel Suffraganeis in eodem Regno pro tempore existentibus, quos omnes pro huiusmodi Causis Criminalibus cognoscendis, & terminandis, habilitamus A-

mus A-

mus Apostolicâ authoritate; tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosq; plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inuiolabiliter obseruari: sicq; per quoscunq; Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, iudicari, & diffiniri debere; ac irritum & inane, si secus super his à quoquàm, quauis authoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus quibusuis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quarumcunq; Ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quauis firmitate aliâ roboratis Statutis, & Consuetudinibus; Priuilegijs quoquè, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & singulis, eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Dat: Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die v. Ianuar. M. DC. XXXIV. Pontif: Nostri Anno Vndecimo.

M. A. Maraldus.

BREVE
De Decimis.
VRBANVS PP. VIII.
Ad futuram rei memoriam.

CVm, ſicut dilectus filius, Nobilis vir Georgius Oſſolinski, Comes de Tęczyn, Chariſſimi in Chriſto Filij Noſtri VLADISLAI, Poloniæ & Sueciæ Regis Illuſtris, ad Nos, & Apoſtolicam Sedem Orator, Nobis nuper exponi fecit, diuerſæ cõtrouerſiæ, lites, & differentiæ, inter Eccleſiaſticos & Nobiles Regni Poloniæ, occaſione ſolutionis decimarum, ſæpè oriantur: Nos litibus, differentijs, & controuerſijs huiuſmodi, quantum cum Domino poſſumus, obuiam ire, paciq; & quieti Eccleſiaſticorum, & Nobilium præfatorum, conſulere volentes, ſupplicationibus dicti Georgij Comitis, & Oratoris, nomine eiuſdem VLADISLAI Regis, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati; Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, dicti Regni Poloniæ, tenore præſentium, committimus, & mandamus, vt compoſitiones per Eccle-

ſiarum Rectores, & Laicos faciendas, ſuper quantitatem Decimarum confirment, vel illas approbent de conſenſu Rectorum; & vbi non adeſt illorum cõſenſus, etiãſi agatur de noualibus, Ordinarius aſſumptis duobus de ſuo Capitulo, vnà cum illis, Cauſam, & Cauſas, ſuper compoſitione facienda cognoſcat, ac terminet appellatione remotâ, vbi Decimæ quolibet anno non excedunt, florenos quinquaginta in valore earum: & quatenus excederent dictum valorem, tunc ſemel appellare liceat, & Appellatio per Metropolitanum, aſſumptis pariter duobus de ſuo Capitulo, cognoſcatur, & terminetur. Quatenus verò Metropolitanus eſſet Ordinarius, tunc appellatio cognoſcatur, & terminetur per Nuncium Apoſtolicum in eodem Regno commorantem; & quatenus primæ inſtãtiæ ab eodem Nuncio cognoſcerentur, tunc à ſententijs dicti Nuncij appellationes, nullitates, ac in integrum reſtitutiones committantur per eundem Nuncium alteri Epiſcopo eiuſdem Regni, qui pariter aſſumptis duobus de ſuo Capitulo, inſimul cognoſcant, & terminent. Quòd ſi contentio erit inter aliquem Epiſcopum, & Nobilem, ſeu Nobiles; tunc Cauſa cognoſcatur per Metropolitanum, aſſumptis pariter duobus de ſuo

Capitulo: Si verò erit inter Metropolitanum, ac Nobilem, ſeu Nobiles, tunc cauſa ſpectet ad Nuncium pro compoſitione de partium conſenſu facienda, aliâs via Iuris terminanda, vt ſupra. Decernentes præſentes literas, validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſq; plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inuiolabiliter obſeruari: irritumq; & inane, quicquid ſecus ſuper his à quoquàm, quauis authoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus quibuſuis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quarumcunq; Eccleſiarum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus; Priuilegijs quoque, Indultis & literis Apoſtolicis, in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliâs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Dat: Romæ apud S. Mariam Maiorem, ſub Annulo Piſcatoris, die XXVII. Nouembris, M. DC. XXXIV. Pontificatûs Noſtri Anno Duodecimo.

Decretum.

Ne Religiosi bona stabilia emant.

SAnctissimus Dominus Noster VRBANVS, Diuinâ prouidentiâ Papa Octauus, salubri Regularium regimini piâ sollicitudine intendens, ex legitimis causis animum suum mouentibus, sub pœnis arbitrio Sanctitatis Suæ reseruatis, mandat Præposito Generali Societatis IESV, Generali Ordinis Prædicatorum, Generali Ordinis Carmelitarum, Generali Ordinis Cisterciensium, vt præcipiat, ac intra tres Menses præcepisse doceat, omnibus & singulis Prouincialibus, Rectoribus, & quibuscunq; alijs Superioribus, de Societ: per Regnum Poloniæ, & Magnum Ducatum Lithuaniæ, constitutis, ne sub pœna suspensionis à Diuinis, priuationis omnium Officiorum quæ tunc obtinebunt, vocisq; actiuæ & passiuæ, ac perpetuę inhabilitatis ad illa in perpetuum obtinenda, ipso facto, absq; alia declaratione, incurreñ, ac alijs arbitrio Sanctitatis Suæ ferendis, bona stabilia emere, vel titulo permutationis acquirere audeât, vel præsumant, in dictis Regno, & Ducatu, nisi eodemmet Generali consulto, & expressa illius obtenta licentiâ. Eundem verò Generalem

neralem ad huiusmodi concessionem non deuenire, nisi eodem Sanctissimo Romano Pontifice, vel Sacrâ Congregatione Cardinalium, Concilij Tridentini Interpretum, priùs assentiente.

Ex eodemmet Originali, præsens copia, est per me Notarium publicum, ac Curiæ Caus: Illustriss: ac Reuerendiss: D. Nuncij Apostolici in Regno Poloniæ, diligenter exarata. In cuius fidem & testimonium, meâ propriâ manu subscripsi, Sigilloq; eiusdem Illustrissimi cōmuniui. Dat: Varsauiæ, die xxxi. Mensis Ianuar. M.DC.XXXVI.

Ita est. Alexander Barnabæus,
Not: Caus. m. p.

Literæ Eminentissimi Cardinalis Barberini, in Causa eadem, ad Illustrissimum D. Nuncium Apostolicum scriptæ.

SAnctissimus Dominus Noster VRBANVS, Diuina prouidentia Papa VIII. Salubri Regularium regimini piâ sollicitudine intendens, ex legitimis causis animum suum mouentibus, sub pœnis arbitrio Sanctitatis Suæ reseruatis, mandat Præposito Generali Societatis IESV, vt præcipiat, ac intra

tres Menses præcepisse doceat, omnibus & singulis Prouincialibus, Rectoribus, & quibuscunq; alijs Superioribus dicti Ordinis, per Regnum Poloniæ, & Magnum Ducatum Lithuaniæ constitutis; ne sub pœna suspensionis à Diuinis, priuationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocisque actiuæ & passiuæ, ac perpetuæ inhabitatis ad illa in posterum obtinenda, ipso facto, absque alia declaratione, incurrendâ, ac alijs arbitrio Sanctitatis Suæ ferendis, bona stabilia emere, vel titulo permutationis acquirere audeant, vel præsumant, in dictis Regno, & Ducatu, nisi eodemmet Generali consulto, & expressa illius obtentâ licentiâ. Eundem verò Generalem ad huiusmodi licentiam non deuenire, nisi eodem Sanctissimo Romano Pontifice, vel Sacrâ Congregatione Cardinalium, Concilij Tridentini Interpretum, priùs assentiente.

A latere earundem literarum scriptum.

Generali Ordinis Prædicatorum.
Geuerali Ordinis Carmelitarum.
Generali Ordinis Cistercienfium.

Responsum Sacræ Congregationis, in Causa translationis Festorum tempore Messis.

EPiscopi Regni Poloniæ supplicârunt, pro licẽtia transferendi Festa occurentia in Mensibus, Iulij, Augusti, & Septembris; exceptis tamen Visitationis, & Assumptionis Beatæ Virginis, necnon Festis Apostolorum; in dies Dominicos, Mensium Octobris & Nouembris, ob fruges omnis generis, tàm demetendas, & recolligendas, quam recollectas iniuriæ temporis expositas, cùm operarij in illis partibus Festiuis diebus ab operibus omninò abstinere intendant. Et Sacra Rituum Congregatio respondit: Festa nullo modo esse transferenda; Posse autem concedi, vt imminente necessitate ob fruges recolligendas, seu recollectas, Episc: dispensare possint quoad operarios, non obstantibus diebus Festiuis. Die XXI, Ianuarij, 1634.

C. Episcopus Boronen: Card: Pius.

Iulius Rospigliosius Secret.

De mandato Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini D. IOANNIS WEZYK, *Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Archiepiscopi Gnesnen: Legati Nati, Regni Poloniæ Primatis, Primiq; Principis: Breuia & Decreta suprascripta, ex suis Originalibus descripta, per me Notarium infrascriptum, sunt collationata, ac Sigillo eiusdem Illustrissimi communita, in fidem & testimonium præmissorum.*

Ita est. Venceslaus Ceynarovvic, I. V. D. Sacra author: Apost: publicus, Actorumq; Curiæ suprascripti Illustriss: D. Archiep: Notarius. m. p.

SERMO
Domini Archiepiſcopi in Synodo.

Paſce oues meas. Ioan: 23.

QVantum Eccleſiæ Dei in fidei Catholicæ integritate, quantum in Diuini cultus conſeruatione & propagatione, quantum in deprauatorum morum correctione, quantum in diſcordiarum compoſitione, quantum denique in bono Cleri, populiq; regimine intereſt; tantum intereſt in Synodorum, in quibus hæc omnia tractari, curariq; debent, ordinatâ & frequenti celebratione. Ad quam cùm ex præſcripto SS. Canonum, & communi conſilio, Illuſtriſsimi Domini Epiſcopi, voſq; cæteri Conſacerdotes, & fratres chariſsimi in hunc locum conuenimus, Chriſti verbo & promiſsioni, in cuius nomine congregati ſumus, confidimus, illum præſentem in medio noſtri futurum, & ſalutaria conſilia, ad nominis ſui gloriam, & Eccleſiarum noſtrarum commodum, nobis ſuppeditaturum. Magnum enim onus, & Angelicis humeris formidandum, Patres Ampliſsimi, ſuſtinemus, Paſtoralem animarum curam; Cuius cauſa Chriſtus Deus & Dominus noſter è cœlo in terram deſcendit, naturā humanā aſſumpſit, animā demq; ſuā, vti Paſtorē bonum decuit, pro ouibus poſuit, nobis quos ad Paſtorale munus vocauit, perfectū boni Paſtoris relinquens exemplum. Ars ſanè artium eſt, (vti D. Gregorius inquit;) cura animarum. Ad cuius onus multi viri Sanctiſsim exhor-

ruerunt.

ruerunt. Exhorruit D. Bernardus Sermone de duplici Aduentu. Quid, inquit, ego infelix, quo me vertam? si tantum thesaurum, si pretiosum depositum istud, quod sibi Christus sanguine proprio pretiosius iudicauit, contigerit negligentiùs custodire? Si stillantem de Cruce Domini sanguinem collegissem, essetq; depositus penes me in vase vitreo, quod portari sæpiùs oporteret, quid enim animi habiturus essem in tanto discrimine? Et certè id seruandum accepi, pro quo mercator non insipiens, ipsa vtiq; Sapientia, sanguinem illum dedit. Sed & habeo thesarum istum in vasis fictilibus, & quibus multò plura quàm vitreis imminere pericula videntur. Magna curâ, magna sollicitudine, magna inprimis charitate opus est ad custodiã tanti thesauri; vt propterea Christus Dominus Principi Apostolorũ nonnisi post trinã interrogationẽ, an se plusquàm cæteri Apostoli diligeret, Ecclesiam suam commiserit, & pascendas oues suas tradiderit; Pasce, inquit, oues meas, non tuas: vt intelligamus nos qui Pastores sumus, non nostra, verùm Christi, & ouium commoda curare debere. Pasce, inquit, oues meas: Pasce, vti D. Bernardus considerat, pasce mente, pasce ore, pasce opere, pasce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione. Pasce inprimis oratione: ad hoc enim Pontifices ex hominibus pro hominibus assumpti sunt, vt offeramus dona & Sacrificia pro peccatis, vt quotiescunque ad altare sacrificaturi accedimus, accedere autem quàm sæpissimè debemus, meminerimus nos medios inter Deum & populum constitutos, & in tempore iracundiæ debere esse reconciliationem. Orationes enim & sacrificia, arma sunt Sacerdotum, quibus omnes hostes vincimus, inquit Chrisostomus. Hisce armis Ezechias

vicit

vicit Assyrium, Moyses Amalechitas, Samuel Ascalonitas, Israel triginta duos Reges. Sanè Episcopi & Sacerdotis munus est pro omnibus orare. Quasi enim communis est totius Orbis pater Sacerdos, præsertim cùm ad celebrandum Missæ Sacrificium accedit. Quod si Pontifex veteris Testamenti in sua veste Orbem terrarum repræsentabat; In veste Poderis, inquit Scriptura, totus erat Orbis terrarum: quantò magis Pontificem noui Testamenti decet Sacrosanctum Missæ Sacrificium pro omnibus offerre, quod pro omnium salute est institutum? vt propterea meritò D. Paulus Timotheum moneat; Orandum esse pro omnibus, sed præcipuè pro Regibus, & ijs, qui in sublimitate sunt constituti. Ab ijs enim publica salus, religionis integritas dependet; ad ipsorum exemplum Orbis componitur. Sic Constantinus conuersus, Orbem conuertit, idola sustulit, Ecclesias erexit; sic noster IAGELLO Lithuaniam ad fidei lumen reduxit; sic multi alij pij & Catholici Principes. Instandum itaq; est pro ipsis quàm maximè Orationi, quam meritò sanctus Augustinus vocat Clauem Cœli. Nec minùs piè quàm eruditè, recentior quidam Sacræ Scripturæ interpres, considerat, quòd quamuis Deus multa beneficia Salomoni, in templo, quod construxerat, orantibus pollicitus fuerit: illud tamen templum nonnisi Domum Orationis vocari voluerit. Mirum, inquit, est, quòd nolit eam vocari Domum victoriæ, Domum abundantiæ, Domum propitiationis, Domum curationis, quæ omnia in eâ Domo orantes promisit inuenturos? Vocetur, inquit, Domus orationis; vt omnes intelligant se omnia in Oratione inuenturos, nihilq; oranti vn-

quam defuturum. Oratio nimirum Manna est quoddam cæleste, in quo omnia Dei beneficia continentur. Quod si muneris nostri est pro vniuerso Orbe terrarum, pro vniuersa Ecclesia Dei, & cuncto populo Christiano Sacrificia offerre, & orare: tantò magis orandum nobis est, & Sacrificia offerenda pro populo nobis commisso, pro Serenissimo Rege nostro, vt Dominus illum saluum faciat, vt in pietate & virtute Dei lætetur; pro Patria nostra, cuius non solùm filij, sed & Pastores sumus, idq; tantò magis, quantò pluribus, grauioribusq; domi forisq; difficultatibus vrgemur, quantò maiori vi & conatu, religio, & Ecclesia Catholica, ab Hæreticis & Schismaticis, iura, libertates, & immunitates Ecclesiasticæ, non solùm ab hostibus, verùm etiam à desertoribus, & ingratis filijs oppugnantur, vt non nobis, sed nomini suo Dominus det gloriam; suam causam defendat, religionem & Ecclesiam in medio inimicorum constitutam, precibus & meritis Deiparæ Virginis, ac Sanctorum Patronorum Regni huius, protegat, & immotam conseruet. Pascere item debemus verbi exhortatione. Proprium enim munus Pastoris & Episcopi, est, verbum Dei populo annunciare, quod quidem in nostra Consecratione illis verbis nobis committitur: vade, prædica, populo tibi commisso. Quòd si fortè alijs, Ecclesiæ vel Reipublicæ, negotijs impedimur, vel certè minùs idonei sumus, qui per nos ipsos hoc munus obeamus: curandum nobis est & prouidendum, vt tales sint, qui nostras vices suppleant, qui inprimis doctrinam Christianam doceant; qui annuncient populo scelera ipsius; qui ad pœnitentiam prouocent; qui ob-

secrent,

secrent, arguant, increpent prædatores & vsurpatores Bonorũ Ecclesiæ, oppugnatores Iurium, Libertatum, & immunitatum ipsius: non magistros prurientes auribus, non qui vanas & inanes quæstiones iactent, ne nimirum illud Prophetæ impleatur: Narrauerunt fabulationes, sed non vt lex tua. Ad extremum, quod tamen omnium primum & summum est, pascere debemus exemplo. In omnibus, secundùm Diui Pauli doctrinam, præbeamus nos exemplum bonorum operum, vt quæ alij sermone docent, nos viuis operibus exponamus: longum enim est iter per præcepta, breue per exempla. Princeps Pastorum Christus, primùm facere, deinde docere cœpit. Neque secundùm D. Gregorium, vllis peccatis Deus magis offenditur, quàm Sacerdotum; quando ipsi peccamus, qui alios à peccatis reuocare debeamus. Domus Episcopi & Sacerdotis, inquit S. Hieronymus, in Specula posita, magistra est publicæ disciplinæ: quicquid feceris, id sibi omnes faciendum putant. Vita Principis, dixit Plinius, tantò magis Episcopi & Pastoris, censura est, eaq; perpetua, ad quam dirigimur & conuertimur; nec tam imperio nobis opus est, quàm exemplo. Refert Curtius in vita Alexandri Magni, & Panormitanus in vita Alphonsi Regis Aragonum, vtriusq; Regis Aulicos, torto collo incessisse, eò quòd Rex vterque obstipus esset, & torto collo incederet. Veram eius rei rationem reddit Lactantius: Mores, inquit, & vitia Principis imitari, genus obsequij iudicatur; abijciant omnes pietatem, ne exprobrare scelus Principi videantur. vt propterea Cassiodorus dicere ausus sit; Faciliùs esse errare naturam, quàm vt sui dissimi-

dissimilem Princeps possit formare Rempublicam. Notat Scriptura Sacra, in Libris Paralipomenon, Fecisse Ezechiam malum in oculis Domini Dei sui: & statim subiungit, exemplo Regis vniuersos Principes Secerdotum & populum præuaricatos. Nimirum secundum Iudicem populi, sic & ministri eius: & qualis est Rector Ciuitatis, tales habitantes in ea. In quam rem, verè & sanctè Bernardus: Principis error multos inuoluit, & tantis obest, quantis præest. Non præsimus vt perdamus, sed vt regamus. Per quem Reges regnant, ipse nos præfecit populis suis à nobis tuendis, non subuertendis; Sanctæ Ecclesiæ ministros, non Dominos; memores illius Scripturæ: Si caput languidum, omne cor mærens. Quod si Christus Dominus, in eum, qui vnum de pusillis scandalizauerit, tam grauem profert sententiam; expedire ei vt suspendatur molla asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris; quanto supplicio dignus erit, qui non vnum, sed Diœcesim, Prouinciam, Regnum, suo exemplo corrumpet, vel inficiet? & vt olim Nathan Dauidem redarguit: propter peccatum suum blasphemari faciet nomen Domini. Libet breui huic sermoni finem facere verbis D. Gregorij: Ponamus, inquit, ante oculos nostros illum tantæ districtionis diem, quo Iudex veniet, & rationem cum seruis, quibus talenta credidit, ponet. In illo tanto examine, vnusquisque quid sit operatus, ostendetur: Ibi Petrus cum Iudæa conuersa, quam post se traxit, apparebit: Ibi Paulus conuersum, vt ita dixerim, mundum ducens: Ibi Andreas post se Achaiam: Ibi Ioannes Asiam: Thomas Indiam, in conspectum sui Iudicis,

conuersam ducet. Cùm igitur tot Pastores cum gregibus suis ante æterni Pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus; qui Pastorum nomen habuimus, & oues, quas nutrimento nostras debemus ostendere, non habemus? Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Quod si reddenda est ratio de his quæ quisque gessit in corpore suo: heu, inquit D. Bernardus, quid fiet de his quæ quisque gessit in corpore Christi, quod est Ecclesia. Attendamus, quæso, nobis, & vniuerso gregi nostro, in quo nos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam, pro qua nos, vitamq; nostram, si opus fuerit, opponamus, ne in illo tremendo iudicio nobis dicatur: Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis manum pro domo Israel. Meminerimus nos speculatores & vigiles constitutos. Vigilemus itaque super greges nostros, vigilemus Religionis, Ecclesiæ, & Fidei Catholicæ conseruationi, & propagationi, morum populi nostri correctioni; vigilemus iuribus, & immunitatibus Ecclesiarum; vt cùm venerit Dominus, & pulsauerit, inueniat nos seruos suos vigilantes, & super omnia bona constituat nos.

AMEN.

ORATIO

A. R. D. Ioannis Foxii, Archidiac: Crac.

In eadem Synodo habita.

Ego vos elegi, & posui vos, vt eatis, & fructum adferatis, & fructus vester maneat. Ioan: 15.

COmpareo in hoc venerando consessu, Illustriss: & Reuerendiss: Archipræsul, Reuerendissimi Antistites, Patres, & Fratres in Christo Reuerendi, non vt doctrinam aliquam exquisitam adferam, qui me discipulum, non Magistrum agnosco; neque vt omninò monitorem agam, qui maiorum iussis obtemperare debeo: sed vt hoc loco, & tempore, quo ira Dei nondum conquieuit, ea vobis in memoriam reuocem, quæ ad Pastorale officiũ, impigrè & cum fructu exercendũ, vel inprimis pertinent. Quo in munere ita me geram, sicut illi qui principum Edicta promulgantes, nihil suum, præter vocis propriæ ministerium, adferunt; ita ego in his recensendis, Diuina, & Patrum Decreta promam, quæ pro summa vestra prudentia probè nostis, & pro singulari pietate exequi soletis. Ex horum numero, illud præclarum oraculum, Apostolis & eorum successoribus relictum, ac in discessu Christi Domini planè testamento
Ioan: 15 legatum : *Ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum adferatis, & fructus vester maneat.* Eligentis maiestas, dignitatem statûs Apostolici ostendit. Quis autem finis tantæ electionis? *Vt eatis, & fructum adferatis, & fructus vester maneat.* De vtroque nimis esset longum hoc tempore dicere. Sed & ego videns paupertatem meam, omissa sublimitate vocationis Apostolicæ, cum solis fructibus pastoralibus venio, quibus apponendis & cõmendan-

mendandis, hæc mea, non tam oratorio, quàm Ecclesiastico stylo contexta, seruiet Oratio; quæ Diuino inprimis, tum vestro communita fauore, properabit ad metam.

Huic Diuino Edicto, triplici verborum funiculo, qui difficilè rumpitur, contexto: *Posui vos, vt eatis, & fructum adferatis, & fructus vester maneat*; tria genera hominum Ordinis Sacri contrauenire, vtile est inprimis cognoscere. Quidam sunt, qui sine intentione vtilitatis communis functiones Ecclesiasticas suscipiunt; falsò persuasi, Sacerdotium esse diuerticulum curarum, cùm certè sit longum ac laboriosum iter, salutis hominum causa institutum. Hi surdâ aure audiunt hæc verba: *Vt eatis*. quorũ errorem vel vnica sententia melliflui Bernardi satis conuincit: Curritur in Clero passim ab omni ætate & ordi- Bern.
ne, doctis & indoctis, ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine cura victurus sit, cùm ad curas peruenerit. Quidam obaudientes illa verba: *Vt fructum adferatis*; nullum in Domum Domini fructum inferunt, sed in ea manent, velut arbores syluestres, infructuosæ, quas nemo plantat in horto suo. Tales sunt qui Pastoricium munus nacti, ad torporem & ocium se conferunt; cuius criminis pessimi nota, Ordini nostro passim inuritur. Sed cur crimen pessimũ vocas ocium? Respondet pro me Syracides: *Mul-* Eccl. 33.
tam enim malitiam docuit ociositas. Dicebant antiqui leuiùs: Ocia dant vitia. Plus vidit Spiritus Sanctus dicens, quod etiam docent vitia. Nec solùm vitia docent, sed ipsam quoque malitiam, fontem vitiorum. Nec vnam tantùm malitiam, sed multam docet ociositas, vt quot homines ociosos, totidem malos reperias; & malos quidem, vel in damnum sui capitis, vel in detrimentum aliorum. Tertium genus hominum, est adferentium quidem fructum, sed non talem qui permaneat. Quinam sunt isti? Compendio dico: qui non lucra animarum, quæ sola Christus Dominus quæsiuit, & quarum salus æterna est; sed quiduis aliud quærũt, siue latifũdia possessionũ, vel auri & ar-

ri & ar-

ri & argenti copiam, siue diuitiarum affluentiam sibi suisq; congerant: quos fructus citò marcescere, nec ad diuturnos hæredes transmitti, tam vetera quàm noua, multa palam fecerunt exempla. Omnes isti ambulant vias non bonas: sed post peccata sua euntes, nullum fructum bonum in vinea Domini relinquunt. Quibus ergo vijs insistendũ; & quinam fructus orbis Domino à nobis reddendi sunt; quod mei instituti est, dicere incipio.

Offert sese mihi celebris illa trium viarum diuisio, per quas fideles ad Deum & ipsius similitudinem adduci debere, præeunte Dionysio Areopagitâ, Theologorum schola docuit. Cùm enim in illo exemplari cælesti, tria sint Hierarchica, id est sacri Principatûs Angelorum officia, nimirum purgare, illuminare, & perficere: hæc eadem ad Sacerdotum, qui Angeli Domini Exercituum sunt, ministeria referuntur, vt in ministerio salutis ijsdé vijs insistant; quarum vna purgans, seu separans dicitur: altera illuminans: tertia perficiens. Illæ duæ ad officium pertinent Sacerdotum; Tertia vtramque in se complexa, propria est (vt infra ostendam) Sacrorum Antistitum. Sed iam singulas cum suis fructibus dispiciamus, vel vt aiunt, digito saltem ostendamus.

Prima quidem via, purgationi destinata, est tenebrosa, ne dicam sordida: ex qua homines à peccatorum sordibus educti, & mundati, Diuinæ gratiæ præparantur.
Ioan: Nõ deflexit ab hac via, ædis huius patronus, ille Propheta
1. Altissimi, qui venit ante Dominum parare vias eius, cùm
Luc: ad fluenta Iordanis ad se venientes, & peccata sua confi-
3. Mat: tentes, ad odium & fugam eorum induceret: & rudiorem
3. quidé populum, promissione regni cælestis, demulceret: Pharisæos autem, & Publicanos, & milites, æternis pœnis propositis, argueret, & duriter increparet: qui sanè est primus Sacerdotalis, & magni sudoris labor; ac prima pars iustitiæ Christianæ, vt homines à malo declinare sciant, velint, & consuescant. Quem autem quæso, fructum

adfert

adfert hæc via ? Primarium certè, nec alium, quàm ab
Isaia prænunciatum, & desideratum : Iste est omnis fru- Isa:27.
ctus, vt auferatur peccatum. Quomodo verò aufertur?
Præstò est Sacramentum Pœnitentiæ, alter Baptismus la-
boriosus, cuius administri sunt Sacerdotes, qui diuinâ po-
testate, culpas criminum ita delent, vt etiamsi ab hoste Psal:
animæ, hominis verè pœnitentis peccatum quæratur, mi- 9.
nimè tamen inueniatur: cùm omnia peccata dimissa, te-
stantibus Prophetis, Deus post tergum suum, adeòq; in Isa:38
profundum maris, proijciat. Quod cùm tam efficax, & sa- Mich:
lutaris sit Pœnitentiæ Sacramenti virtus: valdè dolen- 7.
dum est, illud perfunctoriè, & sine fructu multoties di-
spensari. Quotus enim quisque est Sacerdos, qui artem
medendi cordis humani, seu Casuum, vt vocant, consci-
entiæ, doctrinam difficillimam, aut probè calleat, vel sal-
tem diligenter discat ? Quotus est, qui clauem scientiæ
teneat, & sciat discernere inter lepram & lepram, inter
peccatum morte vel veniâ dignum. Quàm rarus est, qui
in illo tribunali, non solùm Iudicis supremi, qui cœlo le-
ges ponit, verùm etiam prudentis Medici officium sese
gerere intelligat; vt non solùm condonationem errato-
rum, Dei vice, præstet, sed etiam ad nouæ vitæ custodiam,
& infirmitatis medicamentum, apta remedia pœnitenti
præscribat ? Eo iam à prisca Ecclesiæ disciplina declina-
tum est, vt pro grauibus delictis leuissima satisfactio, seu
breues aliquæ preces iniungantur; cùm vel in re aliena
ablatâ, restitutio, sine qua peccatum non dimittitur, esset
decernenda; vel atrox crimen, proprij aut Summi Pontifi-
cis iudicio reseruatum, ad illud remittendum; ex quo fit
frequenter, vt in tali iudicio, & absolutio sit inualida, &
nulla vitæ sequatur emendatio, cùm facilitas veniæ, occa-
sionem tribuat delinquendi. Denique quod vltimum
omnium malorum est, accedat & illud, ore veritatis præ-
dictum, vt cùm cœcus cœco ducatum præstet, ambo in Mat:15
foueam æterni interitûs cadant. Quare ne primus iste

tanti momenti fructus, etiam ab ipſo Saluatore, qui cùm
Heb. 1. ſit ſplendor gloriæ Patris, purgationem tamen peccatorum facere non erubeſcit, ſatis commendatus fructus; vel ignorantiâ aut facilitate ſiue incuriâ miniſtrorum præpediatur; quod veſtri muneris eſt, quæſo, diligentiùs etiam prouidete.

Progredior ad alteram viam, luce fulgentem ſplendida, per quam animæ à peccatis mundatæ, in amœnum quendam omnigenis floribus vernantem hortum introducuntur, qui eſt altera pars iuſtitiæ Chriſtianæ; vt cùm in primæ viæ ſchola, à malo declinare ſtuduerint, in hac ſecunda, bonum facere doceantur. Porrò iſtius viæ rationem & fructum, quis breuiùs exprimere, vel efficaciùs ad eam amplectendam adhortari potuit, quàm Apoſto-
Eph. 5. lus? *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate*. Viam lucis videtis: fructum audite. Fructus enim lucis (id eſt Fidei, Prudentiæ, & virtutis Chriſtianæ) eſt in omni ſanctitate, iuſtitia, & veritate; quibus tribus generibus vniuerſas, ſiue diuinæ, ſiue illæ humanæ ſint, virtutes contineri, rectè quis dixerit. Dabunt ergo operam Rectores animarum, vt progredientes in hac via lucis confirment in veritate fidei, quò ad Deum; in iuſtitia, quò ad proximum; in ſanctitate, quò ad ſeipſos. Non ſatis ſit Ducibus animarum, vitiorum mõſtra debellâſſe, niſi etiam animas Chriſti fidelium, verâ & non ſimulatâ virtutum luce, tum auxilia admouendo, tum impedimẽta amouendo, colluſtrauerint. Ad hunc ſiquidem fructũ certò producendum, magiſtris animarum vel maximè neceſſaria eſt vitæ innocentia, & integritas. Non inficior, & doctrinam, ſeu verbi Dei prædicationem eſſe perneceſſariam: verùm doctrina exempli (quod eſt perpetuum quoddam prædicandi genus) efficaciùs corda hominum ad bonum inflammat. Scitum eſt enim illud: Plus valent ad virtutem exempla, quàm verba. Nec deeſt dicti ratio, quia homines maiorem oculis, quàm auribus fidem adhibent.

hibent.

hibent. Quocirca, sicut inculpata vita Superiorum, multos intra metas Christianæ professionis continet: ita dissolutionis morum in populo non postremam causam dant mores Sacerdotum profani, ne dicam improbi; quorum exprobrandorum sibi metu, cùm peccata populi arguere detrectent, fit, vt ea ipsorum culpæ meritò adscribantur. Appositè hac de re D. Chrysostomus: Si quis horologium videt, quod perperam horas demonstrat; præcipuam culpam confert in magistrum, cui datum est corrigendum. Sic errata populi, Rectori tribuuntur; nam ipse debet eum in officio continere. Et si verò non desint probi Sacerdotes, à quibus sumuntur exempla virtutum: mali tamen, quorum maior solet esse numerus, vel seueriùs corrigendi, aut si corrigi nolunt, idcircò amouendi, quod ob corruptam naturam, plus possunt scandala ad demoliendum, quàm honestæ actiones ad ædificandum. Porrò non paruum plantandis virtutibus damnum, & impedimentum, adfert intermissa Pastorum circa oues suas præsentia; qua nihil in Ecclesia Dei salutarius, nihil fructuosius esse potest. Quomodo enim purgabit, aut ad ardua virtutum ducet gregem absens Pastor? Forte vicariâ operâ. Atqui illam, vti mercenariam, sacrum improbat Euangelium; & omnes Canones damnârunt. Quibus malis & incommodis mederi, vestri, Patres Amplissimi, non tantùm muneris, sed etiam potestatis est.

Properandum mihi est, ad tertiam viam, quæ est via sublimis, cœlo proxima, via perfectionis, quam non meis, sed eius verbis, qui in tertio cœlo audiuit arcana verba, ostendo. Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Dic obsecro, & demonstra: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum; charitatem autem non habeam, factus sum sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* 1. Cor. 13. Ac si diceret: Si scientiam salutis, & linguâ humanâ, & Angelicâ vitâ docuero, & duas has vias prætergressus, ad tertiam viam charitatis, quæ ducit ad vitam & gloriam, non peruenero, nihil mihi pro-

hi prodest. Nolo longiùs progredi in commendatione huius virtutis, quam omnium maiorem, nunquam excedentem, sed semper manentem, Diuinis & prolixis idem extulit encomijs. Illud potiùs attingo, quisnam fructus inde proueniat? Vno verbo dico: Vnio animarum cum
1. Cor: Deo, ita, vt qui per charitatis nexum, firmiter adhæret
6. Deo, vnus spiritus efficiatur cum eo, qui summus Christianæ perfectionis scopus & gradus est. Sed in hoc loco infans & muta est omnis oratio. Quod autem initio dixi, hanc viam, propriam esse Antistitum, quorum munus est fideles ad perfectionem attollere, & Deo intimè coniungere, ideòque olim Perficieents, siue Perfectores appellari solitos: hoc siue ex vestitu Pontificis à Deo præscripto, siue ex Sacramentis, illorum dispensationi reseruatis, paucis quæso, mecum expendite. Præceperat Deus, vt Pontifex auream laminam in capite, & vestem hyacinthinam purpurâ & cocco permistam, gestaret. Quid hæc sibi velint? Pandit mysterium Doctor morum. Cur enim in Sacerdotis capite fulget aurum, nisi vt in illius intellectu sapientia principaliter emicet? Cur hyacinthina vestis, id est aërei coloris, additur, nisi vt in eo omne quod intelligendo penetrat, non ad fauores infimorũ, sed ad amorẽ cælestium surgat? Cur purpura permiscetur, nisi vt Sacerdos in suo & aliorum corde vitia reprimat, & eis authoritate regia contradicat? Cur deniq; coccus bis tinctus adiungitur, nisi vt omnia eius bona virtutum charitate decorentur? Qui enim Deum & proximum diligit, duplici quasi tincturâ splendescit. O præclara perfectionis Episcopalis symbola! O diuina geminæ charitatis Pastoralis insignia! His gaudete, & his gloriemini: his greges vestros ad perfectionem formate; ac crucem hanc, quam in pectore conspicuam defertis, summæ charitatis memoriale, in cordibus fidelium quotidie ferendam plantate. Sed & illud non minus est consumati, & perfecti status Episcopalis argumentum, quod Sacramẽtum, sci-

tum, ſcilicet Confirmationis; & Ordinis, præter Epiſcopos, conferre liceat nemini. Quid ita? Nam cùm per Confirmationis Sacramentum perfectus efficiatur Chriſtianus, & ſeptiformem Spiritûs ſancti gratiam accipiat, meritò id Apoſtolicis Viris reſeruatum. Præparent ſanè inferiores miniſtri materiam ad Spirituale ædificium, etiam illud componant: at abſolutio huius operis Diuini, ad ipſos Architectos pertinet. Quod verò Sacri Ordinis diſpenſationem attinet, eadem de cauſa illis ſolis hæc poteſtas defertur. Sicut enim perfectæ arboris ſignum eſt, cùm fructum iuxta genus ſuum profert, quem tenera arbor non edit; ita ad perfectionem Antiſtitum ſpectat, vt ipſi Spirituales filios, curæ & laboris ſui adminiſtros, progenerent; & fructum ſpiritualis Matrimonij, cum Eccleſia contracti, relinquant. Ad hunc autem fructum maturè producendum, cum Sacri Canones, tum Tridentina Synodus grauiter admonuit: *Epiſcopi per ſeipſos, Sacros Ordines conferant: quòdſi ægritudine impediti fuerint, non aliter, niſi iam probatos, & examinatos, ad alium Epiſcopum ordinandos dimittant.* Dabitis veniam, ſi quod manibus ſæpè contrectaui, plures abuti dimiſſione Antiſtitum, ex hoc loco, opportunè vt puto, dixero. Nam cùm ſine examine, vti plerunq; fit, aliquis dimittitur, vt à quocunque Antiſtite ordinetur, ſingulis præſtitutis temporibus, quoſcunque nouos adit, inſtat, vt ab illis intra anni decurſum, ad Sacerdotij faſtigium ignotus promoueatur. Quid hic dicam? Artes mechanicæ, vt minimùm triennio diſcuntur. Ars artium, regimen animarum, vix diſcitur, & vel vno Anno, interdum triduo, diſci poſſe putatur; ac quod valdè deplorandum eſt, cùm magna animarum iactura à multis indignis tractatur. Exhorreſco ad illud S. Leonis exemplum, qui cùm ad ſepulchrum S. Petri diu multùmq; veniam peccatorum ſuorum rogâſſet, à clauigero cæleſti reſponſum accepit: Dimiſſa ſunt tibi peccata tua, vt ſolùm illud abs te poſtulandum ſuperſit, quod aliqui-

Seſ. 23. c. 3.

 bus con-

bus, contra legem Apoſtolicam, manus temerè impoſueris. Laudandus proinde mihi venit, laudatus morum Cenſor, D. Ambroſius; qui, vt ipſe teſtatur, quendam in numerum Clericorum non recepit, eo ſolo, quod geſtus eius plurimùm dedeceret. Alterum, quem Clericum iam repererat, inceſſum inſolentem habentem, grauiter repræhendit, nec ſibi præire permiſit. Neque me, inquit, fefellit ſententia. Vterque enim ab Eccleſia receſſit. Lucebat in eorum inceſſu, imago leuitatis, ſpecies ſcurrarum præcurrentium. Quare & vos, Patres Ampliſſimi, pro veſtro cultûs Diuini, & animarum zelo, proſpicite, ne per hos immaturos, & minimè vitales, monſtroſos etiam partus, magno detrimento afficiatur Eccleſia. Sed vellicat aurem meam illa quotidiana quærela, penuriæ, & pauci-
Deut: tatis Sacerdotum. Non eo inficias, imò ſi os boui tritu-
25. rantis, contra Dei præceptum, legibus alligabitur: pau-
1. Cor: ciores breui fore vereor. At ne quid è diuerſo contra De-
9. creta Canonum fiat, valdè metuo, ne fortè ſint multi Sacerdotes, & pauci Sacerdotes: multi nomine, pauci in re, & opere. Sed de via perfectionis, & primis duabus, hactenus. Quid igitur poſt haſce vias à nobis explanatas ſupereſt, niſi vt earum ductu *eatis, & fructum adferatis, & fructus veſter maneat.* Manebit autem, ſi oues veſtras, maculis purgatas, virtutum paſtu opimas, omnes gemellis fœtibus charitatis auctas, ad paſcua ſemper virentia, hiſce itineribus, vobis quàm mihi meliùs notis, deduxeritis. Finem dicendi faciam, ſi illud quod in votis habeo, addidero. Quam cuperem hoc tali tempore, quo non ſolùm Reipubl: ſed Diuina etiam iura periclitantur, vt imitemur illum Antiſtitem, prolixâ laudum ſerie celebra-
Eccl: tum, quarum vna mihi ſuffecerit. *Simon Oniæ filius, Sa-*
10. *cerdos magnus, qui in vita ſua ſuffulſit domum; & in diebus ſuis corroborauit templum: qui curauit gentem ſuam, & liberauit eam à perditione.* Pulchrum exemplar ad imitandum. Fulcite & vos, obſecro, labantem veræ religionis do-

nis domum, templa expilata & collapsa, quantum in vobis est, restituite: populum tot morbis, in fide & moribus, laborantem, (quæ propria Synodi actio est) curate. Patriam denique hanc nostram, quæ nos genuit, & adeò affluenter alit, ex medijs ardentium bellorum flammis, peruigili Serenissimi Regis Nostri VLADISLAI curâ, diuinitùs ereptos, ab imminenti, quem effusa eius licentia dudum meretur, interitu, donis, & sacrificijs, liberate.

SOLI DEO GLORIA.

275

A.

de Antiphonarijs

B.

De Caeremon:

C.

Comitijs

Decani.

D.

de Ecclesiae

Fabrica

F.

G.

H.

L.

M.

De Parochis

P

R

S.

T.

V.

t: Prouin: Rēg Pol[illegible]